

**54.** – 839, 13 maggio. *Lotario al monastero di S. Ilario.*

FONTE: Arch. Stato, Venezia, S. Gregorio, catast., I. XIV, c. 1.

EDIZ.: Gloria, *Codice diplomatico padovano* cit., I, 17;

È falso, se non in tutto, almeno in parte, e fortemente contaminato.

In nomine domini nostri Ihesu Christi Dei eterni. Lotharius, divina ordinante providentia, imperator augustus. Dignum est ut imperialis dignitas servorum Dei petitiones effectuosa deliberatione libenter obaudiat atque ad Dei famulatum utile prebere studeat solarium. Quapropter omnibus fidelibus sancte Dei ecclesie, presentibus scilicet et futuris, notum facimus quod pro mercedis nostre augumento cuidam monasterio in honorem sancti Ilarii confessoris constructo quendam curticellam Platanum colactam cum capella in honore sancti Petri constructa et decimis quoque ad se pertinentibus et massariciis vel terris seu vineis atque silvis, pratis, pascuis, campis, acervis, fluminibus, rivis, molendinis, portubus, ripatibus, negotiis, tholoneis, quarantessimis, cum omnibus quoque ad ipsum dictum portum vel curticellam pertinentibus, cum suis circumdatis lateribus, hoc est a primo latere canale, quod dicitur Tergola, percurrentes usque in capite de fossa, que dicitur Vissignone, cum rivo, qui dicitur Mauro, ad ipsam fossam pertinente, usque in paludem et aquas salsas percurrente cum fossa, que dicitur Caparia, cum suis rivis ad se pertinentibus usque ipsum terminum habente et a latere argerem capite firmante in flumine, quod dicitur Una, usque in paludem et aquas salsas percurrente. Et latera in predicta curticela Pladano nomine persistunt, nostra munificentia perhenriter possidendam in eiusdem sancti loci contulimus utilitatem. Unde pro firmitatis gratia presentem auctoritatem nostram eiusdem venerabili abbatii, nomine Deusdedit, fieri iussimus, per quam precipientes precipimus, ut ab hinc in futurum jure firmissimo pars ipsius monasterii easdem res quieto ordine teneat atque absque cuiuspiam contrarietate aut inquietudine possideat, et faciat exinde quicquid utilitatis dicto monastrio placuerit. Hec vero aucto-